



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Lex Moysi quare sit data, & quomodò à litera ad spiritum per Christum sit translata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Plerique carnales dum audiunt se liberatos à lege Moysaica & Iudaicis præceptis, putant se penitus liberos, & nulli legi, præcepto, vel operi amplius obligatos esse, & sicut non curant legem Moysis, ita contemnunt legem charitatis & iustitiæ, id est, Euangelium à Christo institutum & præceptum, & gloriantur solum de libertate carnis: ideo operæ præciū erit, ut sciamus quomodo liberati simus à lege literæ, & quatenus nunc obligamur ad obseruantiam Euangelicæ legis. Pro quo notandum, quod lex est doctrina, docens quid faciamus, & quid fugiamus, ut si fecerimus præscripta legis, sciamus nos bene fecisse: sin minus, cognoscamus peccatum nostrum, & male nos fecisse. & sic dicit Apostolus Romanor. tertio. Per legem cognitio peccati. Duplicem autem legem notat scriptura: Vnam, quam dedit Moyse in monte Synai, quam in tabulis & per os Moysis fecit diuulgari populo, ut Exod. 20. 21. 22. &c. Alteram legem dedit Christus discipulis ante ascensionem, videlicet Matth. vlt. vbi dixit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. euntes ergo docete, scilicet credere, & docete seruare quæ præcepi vobis. Legem Moysis dedit Deus populo Iudaico, primò ut sic distingueretur à gentibus idololatriis, ut esset ipsi peculiaris populus, qui verum Deum coleret fide & exterius illis operibus, & huius meminit Apostolus ad Roman. inquit: Quorum est adoptio filiorum Dei & gloria, & testamentum, & legislatio, & promissio.

Deindè, quoniam rudis erat populus & facilis ad peccandum, ideo dedit legem, ut transgressione illius puniretur, & sic à peccatis arceretur. Ideò facientes contra præcepta Decalogi, lapidabantur, ut blasphemus, adulteri, sabbathi violatores &cæt. & dabatur oculus pro oculo, Dens pro dente, Exod. 21. & sic dicit